

PROLEGOMENA

42

liberatus ad sanam redierit mentem. Toto
dein quadriennio visus est pacatior, donec
Bulla **UNIGENITUS** infirmo cerebro furo-
rem iterum suscitavit; dum in Epistola 2. ad
Lovanientes Theologos pag. 4. postquam in se
recepit justificandas, & commendandas pro-
positiones damnatas, nonam, & sedecim se-
quentes, tanquam tutissima, & inconcussa
Dogmata SS. Augustini, & Thomæ, ad Car-
dinalem Ferrari conversus: *O Ferrari*, inquit,
esne tu Prædicatorum Ordinis? *Jurasti tu in*
Divum Thomam? Ab hoc scilicet Cardinale
Pontificem existimat circunventum, quan-
vis primā, ac præcipuam deceptionis cul-
pam consiciat in quandam Patrem de la Fon-
taine Societatis Jesu, dicens: *Omnia hæc im-
puto non tam Domino meo CLEMENTI, quæm
cuidam homini, qui ut sub specie pietatis sedu-
cat, non habet Societas à Deo deserta pruden-
tiorem; qui quondam Didacus Oropega, alias
proprio nomine vocatur Pater de la Fontaine.*.
Utinam nunquam natus fuisset ille fons! *Ille, ille*
est serpens qui seduxit (*Eminentissimum*) *Ferrari* *Hewam, & illa, vel ille Adamum Pontifi-
cem.* Audiendis istiusmodi Jansenistarum næ-
niis, ac mendaciis pridem assuevimus. Pro-
se ita respondit ille Didacus literis ad amic-
um datis die S. Augustino sacrâ 1715. *Dece-
pi nempe doctissimum Cardinalem Ferrarium,*
*quem quidem semper reveritus sum, sed allocu-
tus nunquam.* *Neque is est qui in dogmaticis à
me decipi valeat, uti nec alter, quem à me de-
ceptum adversarius fingit, sed ad utriusque*
Eminentissimi pedes mibi potius sedendum esset,
*ut disserem, quæm de docendis fallaciter cogita-
tendum.*

Talia ante Arnaldi, & Quesnelli in Hol-
landiam adventum auditæ nunquam à Missio-
nariis sunt; & ubi terrarum à Catholicis, vel
Catholicum nomen sibi vindicantibus, si Jan-
senianos hypocritas exceperis, talia audiun-
tur? Ad contumelias habent Thomistæ, &
cæteri Religiosi, quod respondeant ex S. Cy-
priano Epist. 52. ad Antonian: *Non possunt
laudare nos, qui nobis disiplentes, & contra
Ecclesiæ rebelles, solicitandis de Ecclesiæ fra-
tribus violenter insistunt.* Et teste S. Grego-
rio lib. 1. in Ezechiële Hom. 9. *Perverorum
derogatio vitæ nostræ approbatio est;* quis offen-
ditur nos aliquid justitiae habere, si illis dispi-
cere incipimus, qui non placent D e o. Ezech.
2. *Nè timeas eos, neque sermones eorum metuas;*
quoniam increduli & subversores sunt tecum, &
cum scorcionibus habitat. Verba eorum nè ti-
meas, & vultus eorum nè formides, quia dom-
mus exasperans est. Quemadmodum contem-
nenda eorum odia, & contumeliz sunt,
ita nec audiendæ blanditiæ, syrenum canti-

bus, & serpentum sibilis perniciosiores.
Ocludendæ eis sedulò aures, & fores, qui
non veniunt, nisi ut maestent, & perdant;
novi, atque execrabiliores Polypemi, qui
hospitii gratiam (ut luctuosum Missio Batavi-
ca exemplum est) non corporum, sed animo-
rum interitū remunerantur.

CAPUT VII.

*De Quesnelli professione Fidei subdolâ, et
minime sufficienti circa Gratiam, Li-
bertatem, & Mortem Christi pro salu-
te hominum.*

A NNO 1657. Clerus Gallicanus in Co-
munitate decreverat, Constitutionem
Alexandri VII. contra Jansenianam
hæresim, ab omnibus esse accuratissime ob-
servandam, ut autem submissio uniformis
omnium esset, & minimè ambigua, formu-
lam composuit ab Ecclesiasticis singulis sub-
signandam. In hac quilibet subscriptientium
se submittit Constitutionibus Innocentii X.
& Alexandri VII. ac propositiones 5. in libro
Jansenii contentas, corde, & ore condem-
nat, agnoscerique eas non esse Sancti Augu-
stini, cuius sententias Jansenius perperam,
& contra S. Doctoris mentem interpretatus
sit. Formulam hanc Jansenistæ clamoribus,
& scriptis statim insectati sunt. Stabat au-
tem Rex pro sanctione Cleri, & debitâ Pon-
tificibus obedientiâ. Rebelles, quos neque
religio, neque Ecclesiæ moverat authoritas,
pремebat Regis juvenis, & potentissimi in-
dignatio. In tanto discriminæ opportunum
eis accidit Convenarum Antistitis, quasi me-
diatoris, patrocinium. Ex cogitavere mo-
dum, quo & Romano Pontifici satisfacere vi-
derentur, & non subscrivebant professioni Fi-
dei à Cleri Comitiis imperata. Composue-
re scilicet quinque articulos; si corticem ver-
borum species, à schola Thomistica non ab-
horrentes, & quodammodo quinque Jansenii
propositionibus oppositos, adeo ut à pluri-
bus dein Thomistis fuerint approbati. Alii
eos dixerunt ambiguo, & ad fallendum singu-
lari industria concinnatos. Jactabant Jan-
senistæ, his omnem suam de gratia efficacitate,
de prædestinatione gratuitâ, & damna-
tarum quinque propositionum materiâ sen-
tentiam contineri. Hos per Convenarum
Antistitem miserunt ad Alexandrum VII.
ejusque submisere judicio, addentes, se prom-
ptissimos ad præstandum, si quid amplius ab
eis Pontifex desideraret. Romanum quoque ad-
venerant literæ Episcoporum Galliæ, quibus
indicabant sua ad reducendos errantes stu-

lato P. regnorum. I. secundum unum dia,